THESES THEOLOGICÆ
SPECULATIVÆ, AC POLEMICÆ
JUXTA MENTEM

Reſoluti Doctoris JOANNIS BACCONII
Scholæ Carmeliticæ Principis:

QUAS

Provincia Terræ Laboris prò Comitiis Provincialibus Beneventi congregata

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

BENEDICTO XIII. PONTIFICI MAXIMO

D. D. D.



BENEVENTI MDCCXXV.
Ex Typographia Archiepiſcopali.

Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

BEATISSIME PATER.

HAS Tibi, Summe Pater, Sacrat Provincia Theſes,
Nomina quæ Terræ clara Laboris habet.
Haùd præclara Tui Generis natalia luſtrat,
Nàm radios claræ Nobilitatis habes.
Nèc videt inſignis virtutis lumina: Phœbum
Nàm Te ſoliferæ Palladis Aſtra volunt.
Florentes pietate Roſas tantummodò laudat,
Qua Roſeus luces, Summus, amore, Pater.
Has gaudet celebrare: Quibus jàm conſpicit altas
Evulſas ſpinas hæc Sacra Terra ſibi.
Nam ſi erat in ſpinis, Benedicte, hæc Terra Laboris
Non Benedicta: Tuis nunc Benedicta Roſis.

Humillimus, & Obſequentiſſ. Servus
Frater Petrus Thomas Santabarbara
Carmelita.

THE-

Digitized by Google

Digitized by Google

THESES THEOLOGICÆ
SPECULATIVÆ, AC POLEMICÆ
JUXTA' MENTEM
RESOLUTI DOCTORIS
JOANNIS BACCONII
Scolæ Carmeliticæ Principis.

DE SACRA DOCTRINA, ET LOCIS THEOLOGICIS.

1. THeologia, ut præcisè Fidei myſteria tuetur, eſt omninò neceſſaria in Eccleſia; nam ſublatis Doctoribus fideles eſſent fluctuantes: Fides quoque non gigneretur, nutriretur, tueretur. 2. Theologia indè ſcholaſtica eſt Eccleſiæ utiliſſima, cùm mirum in modum ejus Doctrinam illuſtret, ac diſponat. 3. Ejus Objectum formale eſt Deus prout ex Sacra Scriptura cognoſcibilis, nàm ſic à Phyloſophorum, & Beatorum Theologia ſecernitur, eſtque de iis omnibus, quæ nobis ut cognoſcibilia in Sacra Scriptura traduntur. 4. Eſt ſcientia inadæquatè, & impropriè, nàm enidentiâ eſt deſtituta; 5.: Eſt quoque virtualitèr gradualitèr practica, & ſpeculativa, ſed magis principalitèr practica; Theologus enim plus ſcire ſervire Deo intendit, quàm ſcire, & non facere. 6. Eſt habitus entitativè naturalis, cum la-

Digitized by Google

bore, & ſtudio adipiſcatur; formaliter reſpectivè ſupernaturalis, nempè ratione objecti. 7. Nulla concluſio Theologica, illata vel ex ambabus præmiſſis de fide, vel ex una fidei, & altera naturaliter evidente, formaliter ut deducta eſt de fide; tametſi ſit de fide ut in eis contenta.

DE SACRA SCRIPTURA.

1. TAm vetus, quàm novum Teſtamentum eſt Verbum Dei: primum, quia ſpiritu prophetico plenum eſt: Secundum; eo quod conſpirationem habet cùm veteri, mirabilique promulgatione luceſcit. 2. Ex omnibus Sacræ Scripturæ editionibus ſolùm hodiè vulgata latina eſt authentica, idque Eccleſiæ univerſalis judicio; aliæque puritate non eminent. 3. Sacra Scriptura non fuit quoad ſingula verba, & minimos apices, ſed ſolùm quoad ſenſum, & ſententias ſacris ſcriptoribus dictata; cum multa ſacris ſcriptoribus naturalitèr fuerint manifeſta, & Deus in ſuperfluis non abundat: conſtatque ex Scriptura, & Patribus. 4. Non eſt ità clarus Sacræ Scripturæ ſenſus, ut interpretatione non egeat, & hoc contra Lutherum, quia David ad intelligendam Dei Legem lumen quærebat; & Chriſtus Lucæ ultimo Apoſtolis Scripturam haud capientibus ſenſum aperuit. 5. Iudex controverſiarum non eſt ſpiritus privatus, ſed Eccleſia; nam in Veteri Teſtamento Pontifex pro Judice agnoſcebatur, & Matt. 18. Si te non audierit, dic Eccleſiæ. 6. Scriptura non eſt Fidei Regula ſufficiens, adeòque prætèr ipſam datur de facto traditio tanquam noſtræ Fidei Regula, adverſùs Lutherum, ad Theſ. 2. enim dicitur, tenete traditiones, quas didiciſtis.

DE CONCILIIS.

1. GEneralia convocare Concilia de jure eſt ſolius Romani Pontificis: Joan: enim ultimo habetur, paſce

ſce oves meas, tum quia ſuo Gregi præſidere ad Paſtorem attinet. 2. Concilia Generalia à Pontifice confirmata errare non poſſunt, Matt. 16. legitur, Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ Inferi non prævalebunt adverſus eam; debent igitur Concilii Patres Pontificis ſequi inſtructionem, & ſi abſque ea, ac antè ejus confirmationem definiunt, queunt errare, cùm ſic Patrum Sententia non ſit ultimum Eccleſiæ judicium; 3. Concilii Generalis authoritate eſt ſuperior Pontificis authoritas; Paſtor namque à Grege non pendet. 4. Abſque Concilii Generalis conſenſu in materia Fidei, morumque Summus Pontifex eſt infallibilis, paritèrque in materia facti cùm jure connexi ob allatas rationes.

DE S. S. ECCLESIÆ PATRIBUS.

1. ILli nitent Eccleſiæ Patres, quos ob doctrinam inſignem, eminentem vitæ probitatem, & competentem antiquitatem, ut tales Eccleſia recepit; ſunt namque Patres, ſal Terræ, & Lux Mundi. 2. Non diviſim, ſed conjunctim ſpectati in Fidei materia ſunt infallibiles.

DE CAPITE ECCLESIÆ VISIBILI.

1. CHriſtus Dominus Eccleſiæ ſuæ militantis Supremum Paſtorem, ſuumque Vicarium S. Petrum inſtituit ex illo, Tibi dabo claves Regni Cœlorum, aliiſque Teſtibus. 2. Regimen Eccleſiæ Petro conceſſum non fuit Ariſtocraticum, nec Democraticum, ſed Monarchicum Ariſtocratico mixtum; omnis namque recta gubernatio ad unum Caput reducitur: aliter triumpharet confuſio. 3. D. Petri authoritas in aliquos transfuſa fuit Succeſſores; non enim ad ſui commodum, ſed ad Eccleſiæ utilitatem fuit ipſi collata. 4. In Eccleſia ſolus Romauus Pontifex eſt legitimus Petri ſucceſſor, idque

ex S. S. P. P., & traditione conſtat. 5. Summus Pontifex abſolutè & ſimpliciter eſt ſuprà univerſalem Eccleſiam, & ſuprà Generale Concilium, & in Terris à nemine valet judicari. 6. Summus Pontifex in his, quæ ad Fidem pertinent Eccleſiam docendo nullo modo poteſt eſſe obnoxius errori: Sic Luc. 11. Ego autem rogavi pro te Petre, ut non deficiat Fides Tua, & Tu aliquando converſus confirma Fratres tuos.

DE ECCLESIA.

1. NOn ſoli Perfecti à Catharis, aliiſque prætenſi, ſunt membra Eccleſiæ: Nec ſoli Juſti, ut volunt Novatiani, ſed etiam peccatores Fidem exterius profitentes: nàm Chriſtus Dominus Eccleſiam comparavit agro, in quo granum bonum, & Zizania reperitur. 2. Eccleſia militans promiſcuè claudit Predæſtinatos, & Reprobos,& adversùs hoc aſſero Witccleffum:hinc Aug: in Pſal: 142. Filii ſponſi Apoſtoli, & inter eos perſecutor Diabolus Judas: 3. Cathecumeni non ſunt de Eccleſia; etenim dicitur ad Gal: 3. v. 26. qui in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. 5. Infideles occulti, ſeù ſimulati Catholici, qui interna Fide carent, nèc ullam veram habent virtutem Chriſtianam, baptizati tamèn, & in externa Fidei confeſſione, nec non in Sacramentorum communione perſiſtunt, ut à ſinceris Fidelibus ſecerni vix poſſunt, ſunt membra Eccleſiæ; Aug: namquè de vera Relig: c. 6. ait, in hac area pro voluntate quiſque ſua vèl Palea, vel Frumentum eſt. 6. Majori, validaque excommunicatione irretiti, & excommunicati non ſunt membra Eccleſiæ; ex Apoſtolo namque 1. Cor. 5. habemus, jam judicavi ùt præſens eum, qui ſic operatus eſt . . . tradere Satanæ in interitum carnis: Illeque pariter ab Eccleſiæ Communione removetur: Tum quià qui ſunt extrà ſocietatem Eccleſiæ, ſunt extra Eccleſiæ uni-

unitatem . 7. Hæretici , & Apoſtatæ non ſunt membra Eccleſiæ ; quoniàm ad Titum 3. ait Apoſt:, Hæreticum hominem poſt unam, aut alteram correctionem devita, quia ſubverſus eſt,id eſt,ejectus ex Hyeron: ab Eccleſia; & Paſtor de eis curam habere non debet, ſed evitare. Tum quia membra Corpori Eccleſiæ colligantur, non colligantur autem Calviniſtæ e. g. aliiqui ipſi, ſed eam reſcindunt. 8. Neque puri Schiſmatici , Eccleſia enim ſenſibilis in ſocietate catholica agnoſcitur, & unum eſt Corpus, unum Ovile, unuſque in ea Paſtor. 9. Sincera Verbi Dei prædicatio, legitimuſque Sacramentûm uſus non ſunt Eccleſiæ notæ, & id contra Calvinum, quia ſinceram Verbi Dei prædicationem Lutherani habere prætendunt: ac Eccleſiæ de ſenſu legitimo Scripturæ convenit definire; ergo ipſa notificat ſinceram prædicationem, igitur iſthæc non eſt ejus nota: Omnes quoque ſectæ etherodoxæ habere prætendunt legitimum ſacramentorum uſum . 10. Adverſus Witcleff. cenſemus, ſocietatis Catholicæ unitatem eſſe veram notam Eccleſiæ ex Cantic. 6. Una eſt Columba mea: Jo: 10. fiet unum Ovile, & unus Paſtor: 11.: Sanctitas quoque eſt nota Eccleſiæ, ſcilicet legum puritas, quia clarè ejus indicat Divinitatem; etiam Catholicitas, & Apoſtolicitas ſunt ejus notæ. 12. Eccleſia univerſalis eſt infallibilis, contra modernos Hæreticos, viſibilis contra Centuriatores . 13. Eccleſia militans ſimul cæpit cum Mundo contra ac aliqui ſtulti hæretici blaſphemantes dixerunt.

DE PRÆDICATIS DEI.

1. DEum exiſtere, nequit à priori demonſtrari, cum ſui cauſam, vel principium, etiam virtuale, non habeat, 2. Poteſt à poſteriori demonſtrari ex illis, datur ens contingens: ergò datur ens neceſſarium: Quicquid fit ab alio fit . 3. Prædicatum ultimò ſpecificum

Dei conſtitutivum eſt Aſeitas intellectiva; nam Deus eſt nobiliſſimum vivens vita intellectuali, & illa ratio eſt perfectiſſima in eſſendo, omneſque perfectiones radicat. 4. Intèr attributa Divina, & Relationes, ac eſſentiam diſtinctionem formalem intentionalem objectivam admittimus; enim à p. r. contradictoria, & diverſas eorum definibilitates habemus; Sunt igitur per ordinem ad intellectum potentem diſtinguere, & definire diſtincta.

DE VISIONE DEI.

1. POteſt intellectus creatus ad Deum videndum extolli, ut Fides contra Armenos nos docet; Ultimus namque finis, in ordine ad quem Creaturæ rationales ſunt conditæ, debet eſſe poſſibilis, hinc illud Jo:, hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant Te Deum verum, Matt. 1. quoque, Beati Mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. 2. Ratione naturali viſionis poſſibilitas demonſtrari non poteſt, cum ſit ſupernaturalis. 3. De potentia Dei abſoluta poſſibilis eſt ſpecies impreſſa Divinæ eſſentiæ repræſentativa, ut defacto ſpecies expreſſa Divinam repræſentat eſſentiam, abſque eo quod ſit ejuſdem ordinis cum ea. 4. Oculus corporeus humanus qualitate ſpirituali munitus à Deo poteſt divinitus ad Deum videndum elevari, ſic enim improportio non apparet. 5. Lumen Gloriæ non eſt principium elicitivum viſionis adhùc partialitèr, ſed tota ejus activitas eſt in ordine ad intellectum ipſum elevando; quià actus non ab habitu, ſed à potentia profluit. 6. Non repugnat ſubſtantia ſupernaturalis, cui lumen gloriæ ſit connaturale, à Deo creari. 7. Radix inæqualitatis viſionis à lumine emanat; nam intellectus agit juxta luminis diſpoſitionem. 8. Nequit eſſentia ſine attributis, aut perſonis, nec unũ ſine alio attributum, nec una Perſona ſine alia intuitivè videri; nam dicunt ſummam phyſicam identitatem 9. contra Eunomium aſ-

ſerimus, Deum, eſſe in rigore incomprehenſibilem, deberet enim à Creatura cognoſci cognitione intenſivè infinita; nam compræhenſio rigoroſa exigit inter potentiam, & objectum commenſurationem. Ultimo. Pium eſt credera, & valdè probabile, noſtrum Parentem Heliam, à die ejus raptus uſque modo, & ad finem Seculi uſque, clara frui Dei viſione; eſto Anima ejus conjuncta ſit Corpori; mira namque Sanctitate refulſit, ut Sanctus à Fidelibus invocatur, Sanctumque eum cognoſcit Eccleſia.

DE DEO SCIENTE, VOLENTE, ET PRÆDESTINANTE.

1. IN Divinis potentiam Intellectivam ab omni intellectione ſecretam agnoſcimus; Nam intelligit; ergò poteſt intelligere. 2. Ex immaterialitate ſumpta ex terminis Deum eſſe ſummè intelligentem non probatur; non enim debet aſſignari negativum, ſed poſitivum, quod eſt Aſeitas intellectiva. 3. Eſſentia Divina eſt Objectum primarium Divini intellectus motivum, Relationes, & Attributa ſecundarium proprium; nàm eſſentia eſt radix eorum,& ipſa ſunt quid intrinſecum Dei: Creaturæ verò ſunt Objectum ſecundarium improprium. 4. Repugnat Deum poſſibilia in ſeipſis cognoſcere; Sic namque Intellectus Divinus vileſceret. 5. Deus ab æterno futura contingentia libera agnoſcit contra id, quod Cicero docuit,Pſalm. etenim 188. Intellexiſti cogitationes meas de longe, & Deus eſt perfectionalitèr omne ens. 6. Ea non cognoſcit in ſuis liberis cauſis utpotè indifferentibus. 7. Neque in ſuæ voluntatis Decreto libertatem auferente. 8. Neque ab æterno phyſica præſentia in æternitete fruuntur; Antichriſtus namque e. g. æternitati toti, & totalitèr non coexiſtit; 9. Sed determinata veritàs, quam important pro tali temporis differentia, prout in eſſentia Divina contenta,eſt ratio, cur

cer-

certè præſciantur à Deo. 10. Scientiam conditionatam à Doctore Reſoluto ſic expreſſam admittimus. 11. Scientia Dei cum libertate creata cohæret, eſto Witccleff in oppoſitum exagitetur.

12. Voluntas Divina neceſſitate conditionata amat eſſentiam Divinam, quia ſcilicet motivum ab ea reſiliendi non reperit. 13. Eadem neceſſitate vult poſſibilia quà talia; illis enim ſublatis Deus tolleretur. 14. Volitio libera ſuprà neceſſariam addit reſpectum formalem intentionalem per ordinem ad creaturas contingentèr volibiles, ſic namque accidens non eſt, & liberè vult creaturas. 15. Decreta efficacia antecedentèr prædeterminativa excludimus; quia ſunt indifferentiæ determinativa, admittimus modificata. 16. Ex meritis prævifis ad Gloriam prædeſtinat, nihil enim volitum, quin præcognitam. 17. Permiſſio peccati poteſt eſſe prædeſtinationis effectus, cum poſſit contra ſuperbiam Deus peccatum permittere, ac ipſum poteſt eſſe Pænitentiæ, & Humilitatis occaſio.

DE TRINITATIS MYSTERIO.

1. TRinitatis myſterium ante revelationem nequit demonſtrative cognoſci; nam Matt. 11. dicitur, nemo novit Filium, niſi Pater, & cui voluerit Filius revelare: Tum quia nullus effectus creatus à Deo ut Trino, ſed à Deo ut uno dimanat. 2. Neque ſuppoſita revelatione poteſt naturalitèr demonſtrari; cum Revelatio ſit extrinſeca revelato. 3. Secundum Fidem Catholicam dantur Proceſſiones in Divinis: Sic Jo: 15. Spiritus veritatis, qui à Patre procedit. 4. Actus notionalis non eſt formalitèr ab eſſentiali diſtinctus: Cum habeant idem formale Objectum, & omnis actus intellectus ſit formalitèr intellectio. 5. Generatio activa, & Spiratio activa in Patre ad invicem comparatæ realitèr differunt, cum ſic ad oppoſitos terminos habitudines retineant. 6. Eſ-

ſentia, & Relatio, ſeu Intellectus, & Voluntas notionales ſunt Divinarum proceſſionum principium quo proximum; nam diſtinctio, & ſimilitudo attendi debet in principio quo proximo. 7. Relationes Divinæ ut formalitèr ab eſſentia diſtinctæ dicunt perfectionem: Sic enim ſunt ens, & tale ens. In ſenſu ſtrictiori, & juxtà communiorem uſum Eccleſiæ præter ſubſiſtentias relativas alia non datur abſoluta in Divinis: cum ſubſiſtere rigorosè perſeitatem incommunicabilitatis ſignificet. 9. Relatio ut proprietas Divinas conſtituit Perſonas: debet enim in actus primi ratione conſtituere. 10. Ex Scripturis à Judeis receptis poteſt Divinarum Perſonarum pluralitas, & Trinitas probari: ut ex illo, faciamus Hominem ad imaginem, & ſimilitudinem Noſtram: & ex illo Iſaiæ 6. Clamabant alter ad alterum, Sanctus, Sanctus, Sanctus. 11. Tres ſunt Perſonæ Divinæ realiter inter ſe diſtinctæ, hoc adverſùs Sabellium; nam dicitur Jo: 8., non ſum ego ſolus, ſed, & qui miſit me Pater, & tres ſunt, qui Teſtimonium dant in Cœlo, Pater Verbum, & Spiritus Sanctus. 12. In Deo ſunt tantùm tres *Divinæ perſonæ*, nec plures, nec pauciores eſſe poſſùnt contra Anaſtaſium Imperatorem adorantem Quaternitatem: eruitur ex nunc allato teſtimonio. 13. Tres Perſonæ Divinæ ſunt unus numero Deus adverſus Trithejtas, ut habet Lateranenſe Cap. firm. 14. Prima generativitas, ſeù aptitudo ad generandum Patrem conſtituit; generare enim aptitudinem ad generandum ſupponit. 15. Verbum Divinum eſt verus Deus contra Arrium, ſervetum, alioſque: Iſaiæ 35. Deus ipſe veniet, & ſalvabit Nos; ad Romanos 9. Ex quibus Chriſtus eſt ſecundum Carnem, qui eſt ſuper omnia Deus. 16. Productio Verbi eſt generatio; quia eſt ab Uno; Proceſſio verò Spiritus Sancti non eſt generatio; quia eſt à duobus non ſe habentibus ùt Patre, & Matre; nàm Spiritus Sanct. procedit formalitèr per naturam utrique Communem; at ad generatio-

nem eſſentialitèr pertinet, quod Generans ſit ſuppoſitalitèr exiſtens; non enim generat Homo, ſed hic Homo, conſequentèr Spiritus Sanctus non eſt genitus, quia non procedit à Patre, & Filio per Paternitatem, & Filiationem, ſed per naturam utrique communem, Filius eſt genitus, quia procedit à Patre ſuppoſitalitèr exiſtente nempè ab Uno. 17. Verbum ex cognitione ad totam Trinitatem terminata procedit; eſt namque in eſſendo, & repræſentando perfectiſſimum. 18. Quoque ex cognitione poſſibilium (impropriè) procedit: Eoquod eſſe intelligibile creaturarum poſſibilium in Patre ut dicente præſupponatur, aliter perfectè non diceret. 19. Non autem procedit ex contingentium cognitione; cum neceſſariam connexionem cum eſſentia non dicant. 20. Spiritus Sanct. eſt verus Deus Patri, Filioque conſubſtantialis adversùs Macedonium; Habemus enim Ac. 5. Dixit autem Petrus Ananiæ, cur tentavit Sathanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto? Non es mentitus hominibus, ſed Deo. 21. Spiritus Sanct., ut Fides contrà Græcos edocet, à Patre, & Filio procedit; eruitur ex illo, quem ego mittam vobis, & ex alio, Spiritus veritatis, qui à Patre procedit. Ultimo. Spiritus Sanct. ſi à Filio non procederet, ab eo diſtingueretur, quòd in hypotheſi in Patre perfectum intelligere, & perfectum velle remanerent.

DE ANGELIS.

1. DAntur Angeli contrà Sadduceos; ſic Gen. 1. c. 16. Angelus Domini Agari ſuadet, ùt Abrami domum repetat; Ad Hæbreos 1. tanto melior Angelis effectus. 2. Per nullam rationem à priori poteſt eorum exiſtentia demonſtrari; Cum Deus liberè ad extra operetur. 3. Angeli ſunt omninò incorporei, contrà ac voluerunt aliqui Patres, hocque ex ipſomet textu Gen: 6. juxtà lectionem 72. Interpetrum ab eis allato colligitur;

nam

nam ſi legunt, videntes Angeli Dei Filias hominum, &c. Deus puniturus eorum acceſſum, ait, non permanebit ſpiritus meus in Homine, quia Caro eſt: igitur homines, non Angeli fuerunt: poſitivè autèm hoc illud Pſal: 103. declarat, Qui facit Angelos ſuos Spiritus, & communior S.S. Patruum ſententia hoc aperit. 4. Sub eadem ſpecie infima non repugnat Angelorum multiplicatio numerica; cum poſſunt intellectiones eorum numero multiplicari; cumque ſint perfectionis finitæ. 5. Angelus nequit ſe duobus locis diſſitis, & inadæquatis collocare, quin exiſtat naturalitèr in medio, idque ob loci unitatem. 6. Intra ſuam ſpheram adæquatam Angelus poteſt tranſire ab extremo ad extremum ſine tranſitu medii poſitivi; Cum ſit formalitèr phyſicè indiviſibilis: Igitur intra ſuam ſphæram poteſt tranſire in iſtanti. 7. Supernaturalitèr poteſt tranſire ab extremo adæquato ad aliud adæquatúm ſine tranſitu medii; ut poteſt Deus ponere Corpus Chriſti in Cœlo, & in Altaris Sacramento non ponendo illud in medio. 8. Angelus non intelligit inferiora per ſpecies intelligibiles: ſic namque vileſceret ejus intellectus, ſed per ſuam eſſentiam ea repræſentantem ut in ſpeculo. 9. Non repugnat in Angelo nnus habitus, vel una ſpecies (poſſibilis) omnium repræſentativa; ſolum namque eſſent in eo infinitæ repræſentativitates, non infinitæ perfectiones: ſolumque ſyncatecorematicè infinita repræſentaret 11. Angelus naturali virtute nequit cognoſcere cordium ſecreta; conſilia enim libera ſupra entia naturalia aſſurgunt. 12. Locutio Angelica formalitèr conſiſtit in actu intellectus Angelici directo ad audientem, enim verò ſi præter actum ſpeculativum in intellectu admittitur practicus, quo voluntati quid faciendum, quid ſit effugiendum dictat; & hoc eſt loqui intellectus voluntati, pariter præter actum intellectus, quo ipſe objectum cognoſcit admitti debet alius, quo illud alteri exprimat. 13. Angelus peccare potuit in primo ſuæ creationis inſtanti;

ha-

habuit namque in eo liberum arbitrium. 14. Non repugnat natura intellectualis creabilis natura ſua impeccabilis, eſſet enim non prima regula ſuæ operationis, ſed immobilitèr primæ regulæ affixa; Indè quamvis Deus ſit eſſentialitèr immortalis, dabilis eſt, & datur, Creatura naturaliter immortalis; ergò etiam poteſt dari creatura naturalitèr impeccabilis, quamvis Deus ſit eſſentialitèr impeccabilis. 15. Primum Angelorum peccatum ſpiritualis luxuria non fuit, quia ſi peccavit ex hoc, quod propriam dilexerit perfectionem, peccavit, quia eam non ſubdidit Deo, undè enituit ſuperbia: 16.: Quæ enituit in cupiendo abſolutè æqualitatem cum Deo; nam voluntas eſt impoſſibilium; Hinc Nazianz. in ſuo Carm. 6. cecinit, Deum Deus eſſe cupit tertia caligine totus obrutus eſt. 17. Obſtinatio in Dæmonibus ex naturali, & omnimoda inflexibilitate voluntatis eorum non oritur, cum electio antecedens voluntatem Angeli ſimplicitèr liberam neceſſitare non poſſit. 18. Ex ſubtractione gratiæ, & eo quod ſint in termino, oritur obſtinationis origo, nam gratia ad conſequendam gloriam creaturæ rationali tribuitur; ergò is, qui eſt eâ nudus, et haud amplius ordinatur ad gloriam, eſt in malo obſtinatus. 19. Dæmones non torquentur ab igne Inferni in hoc ſenſu, quod ſint igni illigati, itaut ab eo liberari non poſſint, in quo veluti in Carcere detineantur; veris enim, ac miris modis ex Aug. ignis Inferni Spriritus infernales extorquet. 20. Per qualitatem ſpiritualem Inferni ignis Dæmones cruciat. Ultimo. Dantur Angeli Cuſtodes, ut illud Davidis oſtendit; Angelis ſuis mandavit de te ut cuſtodiant te, &c.; enim verò ſinguli homines variis modis tentantur, exigunt ergò Angelorum aſſiſtentiam, nè cadant.

DE GRATIA, ET MERITO.

1. AUxilium actuale ſupernaturale in actibus indeliberatis Intellectus, & Voluntatis non conſiſtit, ſed

ſed in prævia motione; auxilium namque datur, ut homo ſupernaturalitèr operetur: Igitur à ſolo Deo producitur. 2. Poteſt homo lapſus abſque gratia ſpeciali ordinis naturæ plures veritates naturales cognoſcere juxta illud Sapientiæ, à magnitudine Speciei, & Creaturæ poterit cognoſcibilitèr Creator eorum videri, ut valet etiam ſcire, omne totum eſt majus ſua parte. 3. Nequit tamen ſine gratia ſpeciali omnes veritates collectivè ſumptas agnoſcere; tum ob impedimenta, ars enim longa, vita brevis; tum ob veritates penes infinitas. 4. Ad efficiendum bonum opus morale ordinis naturæ non exigitur Fides; nam obſtetrices Egiptiæ Infideles domorum ſuarum meruerunt ædificationem; eoquod Hebræorum maſculos non enecaverunt, & Romani virtutibus meruerunt Imperium; Fides ergò non quæritur; cum non poſſit eſſe opus meritorium, quin ſit bonum, nec eſſe meritorium ſine Fide, quin ſit bonum ſine Fide: Hinc Infidelis poteſt Parentes colere abſque infidelitatis motivo. 5. Non requiritur ad opus bonum morale gratia ſanctificans, quoniam Scriptura modo ad orationes, modo nos ad converſionem hortatur; atqui hæc ante gratiam ſanctificantem ſunt bona: g. 6. Ad illud opus naturale morale ad ſalutem inutile agendum gratiam actualem excludimus, cum poſſit intellectus aliquas veritates practicas naturali lumine prænoſcere, illaſque voluntati dictare. 7. Non opus eſt gratia ad vitendas leves tentationes diviſivè ſumptas victoria ſaluti æternæ haud fructuoſa, contra Bay propoſitionem ab Eccleſia damnatam, nam ſic difficultatem moraliter inſuperabilem annexam non habent: 8: Secus collectivè ob vertibilitatem infirmam arbitrii. 9. Juſtus, vel Impius eget gratia, ut evitent mortalia. 10. Ad venialia collectivè vitanda ſpeciali privilegio indigemus, cum non ſit homo, qui non peccet, & homo nequeat ad ſe ipſum ſemper attendere. 11. Illo Privilegio Virginem Deiparam fuiſſe præditam, certò

tò conſtat. 12. Non certò conſtat de aliis.

13. Homo lapſus ſolis naturæ viribus totam legem naturalem ſecundum ſubſtantiam adimplere non poteſt, cum tota legis impletio omnium Tentationum victoriam importet. 14. Ad eliciendum aſſenſum Fidei meritorium gratia eſt neceſſaria; cum ſit omnis meriti principium, quicquid in oppoſitum contra Fidem Pelagiani, & Maſſilienſes oblatrent. 15. Indè nec proximè, nec remotè, nec remotiſſimè ſolis naturæ viribus poteſt ſe homo ad juſtificationem diſponere; nam inter diſpoſitionem, & formam requiritur proportio. 16. Ad perſeverandum finaliter præter auxilia ordinaria ſpecialem cupimus gratiam. 17. Datur gratia ſufficiens, quæ eſt ad operandum ſufficiens; nam dicitur Matt. 2. multi ſunt vocati, pauci verò electi. 18. Hominibus ſivè juſtis, ſivè non, nullum mandatum Dei eſt impoſſibile contra Janſenii propoſitionem; aliter namque Deus eſſet inſipiens, injuſtus, & immiſericors, quod dicere maximam redolet ſtultitiam. 19. Adversùs eundem aſſerimus, Chriſtum Dominum mortuum eſſe pro omnibus, ut dicitur ad Tim. 2.; Speramus in Deum vivum, qui eſt Salvator omnium maximè fidelium; Tum quia omnes mortui erant, g: pro omnibus mortuus eſt Chriſtus. 20. In ſtatu naturæ lapſæ interiori gratiæ quandoque reſiſtimus; Cum voluntas ſub quacunque gratiæ motione ſemper libera, ſuique juris remaneat, hinc Actorum 7. dixit Petrus, vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis. 21. Omnibus Adultis, ſivè juſtis, ſivè non juſtis, etiam peccatoribus obſtinatis à Deo auxilia ſufficientia ſaltem remota conferuntur, pariterque infidelibus, nullis enim Deus denegat pro conſequenda ſalute adjutorium; & non tantum offeruntur; quoniam conſequi auxilia oblata, non eſt in hominis poteſtate. 22. Auxilium actuale efficax, non conſiſtit in qualitate ſupernaturali intrinſecè recepta in voluntate, per quam voluntas phyſicè, & abſolutè ad opus ſupernatu-

tu-

turale prædeterminatur ; debet enim ad utramque partem contradictionis relinqui indifferens . 23. Solum ponimus prædeterminationem moralem ad bonum opus, juxtà genium voluntatis ; nam ait Aug. tractatu 26. in Joan: trahit ſua quemque voluptas, non neceſſitas, ſed delectatio . 24. Gratia habitualis realiter entitativè cum charitate identificatur ; cum ſit donum perfectum . 25. Ipſa animæ inhæret, contra ac dicit Calvinus, cum ſit principium formale vitalis meritoriæ operationis . 26. Sola Fides, quâ quis credit certò ſibi eſſe remiſſa peccata abſque bonis operibus, juxtà impii Lutheri dictamen, implicat , dicitur namque ad Galatas 6. Fides quæ per charitatem operatur . 27. Gratia, & peccatum poſſunt eſſe ſimul in eodem inſtanti, cum privatio gratiæ ſit pæna peccati . 28. De potentia abſoluta Dei poteſt ſine gratia fieri juſtificatio; Deus enim virtutem ſuam quibuſcumque rebus alligatam non habet . 29. Igitur poteſt in alio ordine Homo conſtitui in ſtatu merendi abſque gratiæ infuſione ; nulla etenim eſt lex, cui Deus obedire teneatur.

DE PRIMO HOMINE, SUMMOQUE EJUS BONO.

1. CUm perfecta omnium rerum naturalium ſcientia primi Parentes à Deo fuere producti, ex illo Eccleſ. 17., & diſciplina intellectus replevit eos : 2. : Quoque fuere in gratia ſanctificante creati , ut Ecc. 7. fecit Deus hominem rectum : : 3.: Pariter in juſtitia originali : 4. :. Quæ ſecundum ſpecificum conceptum promptitudinem portionis inferioris ſenſitivæ ad obediendum Spiritui importat . 5. Verè datur peccatum originale, quod in poſteros Adæ per generationem naturalem transfunditur adverſus Anabaptiſtas. 6. Illud non eſt fomes appetitus ſenſitivi contra Melancthonem ,. in baptiſmo enim auferetur ; Tum quia concupiſcentia peccatum non eſt, ſed ad

pec-

peccandum nos ſtimulat . 7. Peccatum originale eſt averſio habitualis à Deo , & materialitèr importat converſionem ad Dæmonem. 8. Primordialis ratio ejus traductionis ad poſteros eſt ex lege Dei, & traducitur generatione naturali; quia caro, quæ generatur, eſt prona ad rebellandum Spiritui . 9, Beata Virgo fuit immaculatè concepta, ut fuit dictum Heſteri 16: Non morieris, non enim pro te, ſed pro omnibus conſtituta hæc Lex eſt; Cumque ſit Dei Mater . 10. Parvuli non baptizati decedentes non cruciabuntur pæna ſenſus, quia nullum habent actuale peccatum: ſolum ergò in loco tenebroſo detinebantur. 11. Nemo poteſt plures fines ſimpliciter ultimos, & totales ſibi proponere, aliter finis ultimus ultimus non eſſet. 12. Beatitudo phyſicè relatè ad cauſas ſecundas eſt intrinſicè perpetua, non adeſt enim in ea materia, nec contrarium, ſcilicèt peccatum. 13. Phyſicomethaphyſicè eſt corruptibilis, Creatura namque eſſentialiter indeſtruibilis repugnat. Ultimo: Beatitudo in actibus intellectus , & voluntatis formaliter, & in recto conſiſtit: Cum utræque potentia beatificabiles, nempè una per cognitionem, alia per amorem, eluceant.

DE ACTIBUS HUMANIS.

1. Quæ fiunt ex metu ſunt mixta ex voluntario, & involuntario, ſunt magis tamen voluntaria, nam quæ abſolutè volumus, & conditionatè nolumus, ſunt magis voluntaria. 2. Ut voluntas operetur, ſufficit ex parte intellectus ſola apprehenſio, ſufficit namque, quod intellectus bonum conveniens agnoſcat . 3. Ex duobus bonis æqualibus, vel inæqualibus, pari, vel impari cognitione propoſitis, poteſt voluntas utrumlibet amplecti ſemper enim libera, & indifferens remanet . 4. Imperium ſolius voluntatis eſt actus, cum ſolum intellectus viam oſtendat, & voluntas libertatis ſit radix, ac potentia-

rum

rum Domina. 5. Eſſe morale legitimè eſt quid intrinſecum actui humano; etenim moralitas importat exercitium creaturæ rationalis dignum vel opprobrio, vel laude. 6. Bonitas in opere exteriori inventa ſuperaddit aliquid ad actum internum ſibi correſpondentem, per quod iſtius bonitas creſcit; Cum ea ſit veluti effectus bonitatis interioris, nam ab ea dependet. 7. Prima regula actuum humanorum objectiva eſt natura rationalis connotans libertatem eſſentialem; nam actualis cognitio eſt organum delativum, & lex Divina, & Æterna objecta creata præcipit, quia ſunt intrinſecè bona, & honeſta, alia vetat ob intrinſecam eorum malitiam. Ultimò; Ex ſe in eſſe moris dantur actus indifferentes in individuo; nam poteſt dari actus ſecundum ſpeciem indifferens, atqui iſte ſine pravo ſine, & mala circumſtantia poteſt elici: g.

DE VIRTUTIBUS MORALIBUS.

1. Estò per accidens poſſint infundi, tamen virtutes morales per ſe infuſæ à nobis excluduntur; Scriptura namque monet, ut prudentiam, juſtitiam, ſobrietatemque acquiramus. 2. Virtus moralis reſidet in voluntate, cum ſit habitus electivus in medietate conſiſtens, ſolum ergò impreſſivè eſt in ſenſitivo, cum ſenſus à voluntate moveatur. 3. Non ſunt ita connexæ, ut una ſine alia haberi non poſſit, etiam quoad habitum; nam virtutes ſpecie differentes ſub eodem genere poſſunt diviſim acquiri. 4. Actus virtutum moralium cum actibus vitiorum levitèr peccaminoſis non opponuntur, ut poteſt quis ex charitate mortalia, & non venialia deteſtari. 5. Actus ſupernaturalis à naturali non differt ſpecie ratione objecti formalis; Tum quia poſſunt dari didiverſæ ſpeciè potentiæ circa idem objectum formale; Tum quia bonitas Divina in ſe eſt eadem, ſivè amore naturali, ſivè ſupernaturali attingatur. 6. Virtus in me-

dio conſiſtit, nam habitus inclinat ad actus neque excedentes rectam rationem, neque ab ea deficientes. 7. Virtus quidditativè non eſt relativa; quia eſt de prima ſpecie qualitatis, & habitus primario reſpicit naturam benè, vel malè diſpoſitam, ſecundariò objectum. 8. Prudentia eſt una ſpecie in diverſis materiis; Principium enim ejus formale, nempè benè vivere ſecundum rectam rationem, eſt ſpecie unum. Ultimo. Poſita ex parte Dei libera acceptatione de ſervanda corona gloriæ noſtris operibus meritoriis loco depoſiti, debitum legale ſtrictæque Juſtitiæ obligatio ex parte Dei exoritur; ut dicitur ad Timoth. 4. Curſum conſumavi, Fidem ſervavi, in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ; Tum quia redditio rei depoſitæ eſt de jure quoad ſuſcipientem depoſitum.

DE PECCATIS.

1. MAlitia formalis peccati ſtat in poſitivo actu difformi rationali naturæ, cum blaſphemia, v. g. ſecundum ſuum eſſe prohibentur: Hinc malitia formalis peccati omiſſionis in poſitivo conſiſtit. 2. Datur peccatum contra nullam legem; nam amor Dei ex ſe eſt ſummi boni ampleximus, ergò odium Dei ex ſe eſt rejectivum ejus; Tum quia dantur actus intrinſecè mali, ut mendacium. 3. Suppoſito libertatis impedimento tempore, quo currit præceptum affirmativum, tunc omiſſio rei præceptæ non imputatur ad culpam, ſed ſolum quando cauſa data liberè fuit, cum totius generis moris libertas ſit fundamentus. 4. Mortale differt à veniali, quia eſt averſio à Deo; Veniale, quia eſt averſio exercita à fervido affectu ergà Deum; Mortalitèr namque peccans ultimum finem ſibi in creatura conſtituit. 5. Si veniale ſit remiſſum quoad culpam, ejus pœna in Inferno æterna non eſt; Mortale etenim, & veniale in ratione malitiæ, & offenſæ ſunt improportionata: Secus ſi non ſint quoad

cul-

culpam remiſſum; quia perſeverante culpa perſeverat reatus quoad pœnam. 6. Peccatum habituale non conſiſtit in privatione gratiæ, quod hæc eſt pœna peccati; Et carentia theologica gratiæ à peccato præterito dependet. 7. Neque conſtituitur per deputationem actus peccaminoſi ad pœnam, dignitas enim pœnæ in peccato à culpa originem ducit, ſed eſt averſio à Deo non retractata; nam habituale nihil aliud eſt, quam actuale, ſolumque ex non retractatione moraliter permanet. 8. Non repugnat peccatum ex Dei decreto irremiſibile, ſicut enim Deus poteſt extrinſecè illud condonare, ita poteſt extrinſecè reddere illud irremiſibile. 9. Poteſt pariter Divinitus abſque prævia peccatoris retractatione peccatorum remitti; nam poteſt creditor, & offenſus cedere juri ſuo, etiam nullo prævio debitoris actu. 10. Quoque poteſt remitti per condonationem extrinſecam citra gratiæ infuſionem; cum Deus ſit Legiſlator ſupremus. 11. Contritio defacto non juſtificat formaliter; Triden: namque Seſs.6.Can.7. docet hominem per infuſionem gratiæ, & juſtitiæ inhærentis juſtificari; Ultimo: De potentia tamen Dei abſoluta poteſt formaliter juſtificare, nam actus dilectionis eſt converſio in Deum, & conjunctio cum ipſo.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS, SEU DE FIDE, SPE, ET CHARITATE.

1. OBjectum Fidei eſt aliquod attributum Divinum, non aliquid creatum contra Petrum Abajalardum; dicitur enim Jo: 1., Unigenitus qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit; tum quia in hoc virtutes morales à theologalibus differunt, quod primæ creatum, ſecundæ Divinum habent objectum. 2. Prima veritas in cognoſcendo, & dicendo eſt objectum formale Fidei, nam ad credendum Deo loquenti movemur, quia nec falli, nec fallere poteſt. 3. Deus nequit infundere actum, vel habi-

bi-

bitum erroris etiam ſpeculativum , nec miracula in conteſtationem falſi patrare, cum nec de potentia abſoluta mentiri poſſit. 4. Revelatio objectum formale Fidei non ingreditur, cum ſit medium nobis primam applicans veritatem. 5. Benè ſcriptura probatur per Eccleſiam, & Eccleſia per Scripturam contra Pareum, tunc enim committitur circulus, quando hoc per illud, & illud per hoc probamus apud eum qui neutrum admittit. 6. Authoritas tamen Eccleſiæ ſolum deſervit, ut motivum Fidei proponatur; Fidelis enim in credendo conſulit Eccleſiæ doctrinam, ſed nullatenus ea nititur. 7. Ejus autem motivum ultimum eſt divina veritas ſuperiùs enucleata. 8. Eſt materiale objectum Fidei quod Benedictus XIII. ſit verus Chriſti Vicarius, nam eſt concluſio thæologica ex una revelata, & altera evidenter cognita evidentia morali ſtrictè dicta deſcendens. 9. De ratione Fidei eſt inevidentia; per hoc ènim à quolibet alio habito ſecernitur. 10. Actus Fidei cum evidentia in atteſtante repugnat; nam evidens eſſet. 11. Actus ſcientiæ, & actus Fidei poſſùnt ſupernaturaliter coexiſtere in eodem intellectu; Fides quoque, & clara Dei viſio: cum ſint actus poſitivi. 12. Myſteria Fidei ſunt evidenter credibilia evidentia morali juxtà illud Pſalm. 188. Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis, & hoc ob ſanctitatem, ſapientiam, authoritatem, & uniformitatem doctrinæ, & modum promulgationis mirabilem. 13. Intellectus ad credendum determinatur à voluntatis imperio, cum intellectus in obſcuris voluntatis imperio ſubdatur. 14. Nequit Fides eſſe formaliter diſcurſiva; Connexio namque inter præmiſſas, & concluſionem ab intellectu naturaliter ponitur. 15. Poſt lapſum primi parentis fides fuit neceſſaria omni tempore neceſſitate medii ad juſtificationem; etenim rationalis creatura eſt ordinata in Deum finem ſupernaturalem conſequendum. 16. Actus Fidei eſt entitativè naturalis, & ſupernaturalis quoad modum, quia à po-

potentia obedientiali intellectus ut elevata ab habitu Fidei dimanat. 17. Carens habitu Fidei nequit ſimul diſcredere unum articulum, & aliud credere Fide ſupernaturali: Carens etenim habitu Fidei caret ſimpliciter Fide. 18. Objectum formale ſpei Theologicæ eſt bonitas Dei reſpectiva, in quantum poteſt à nobis per viſionem, & amorem poſſideri; nam ſpes iſta futuræ Beatitudis enitet expectatio. 19. Cum bonum conditionatè futurum poſſit actum ſpei terminare; ut malum certò futurum timeri potuit à Chriſto, poteſt ſperari beatitudo ab eo, cui facta eſt ſuæ damnationis revelatio. 20. Objectum formale Charitatis eſt bonitas Dei abſoluta (prout ſcilicet ipſi Deo conveniens, & bona); ut in quocunque genere ſumma, nam reddit Deum ſuper omnia amabilem. Ultimo: Salvatur libertas in iſtanti amoris præcepti per hoc, quod habitus Charitatis effectivè in actum non influat; nam actus amoris debet eſſe liber.

DE INCARNATIONIS MYSTERIO.

1. CUm ſit facta, ut dicemus, eſt poſſibilis incarnatio. 2. Nequit tamen lumine naturali demonſtrari; Cum vis aſſumptiva ſit entitativè ſupernaturalis, & ipſa quoque Incarnatio eſt ſupernaturalis. 3. Defacto Verbum Divinum carnem aſſumpſit, ut oſtenditur ex prophetia Jacob, ex prophetia Danielis 9. & Judæorum authoritate. 4. Ex vi præſentis decreti Adamo non peccante Verbum incarnatum non fuiſſet, quia Auguſtinus exponens primum locum Lucę 19. ait, ſi homo non peccaſſet Filius hominis non veniſſet; Tum quia de facto Deus voluit & Chriſti excellentiam, & naturæ humanę cùm reparabilitate exaltationẽ. 5. Cum Deus ſit pleniſſimè liber nequit moraliter ad optimum neceſſitari. 6. Cum defacto prius Adam peccaverit, quã Verbum carnem aſſumpſerit, ſic ea Deus ab æterno prævidit. 7. Peccatum mortale

Digitized by Google

in ratione offenſæ eſt infinitum, cum contineat offenſas contra quaſcumque creaturas: 8. Hinc certum puram Creaturam pro mortali ad æqualitatem ſatisfacere non poſſe, cæterum ſi ſupponatur mortale gravitatis finitæ, poteſt Creatura ad æqualitatem Deo ſatisfacere; nam ſic non creſcit ex parte offenſi. 9. Juſtus nequit de condigno mereri peccatori gratiam remiſſivam mortalis, iſthæc enim deberet eſſe infinita ad tollendam infinitam offenſam. 10. Chriſtus eſt verus Deus adverſus plures Hæbreos; ut Iſa: 9. Vocabitur nomen ejus admirabilis, Deus fortis. 11. Cum Iſa: 7. dicatur, Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, Beata Virgo Maria ſemper fuit Virgo contra Ebionitas. 12. Verbum non apparentem, & phantaſticam, ſed veram carnem aſſumpſit contra Menandrum, Marcionem, & alios, nam dicitur Jo: 1. & Verbum Caro factum eſt. 13. Cum Joan: 10. v. 5. habeatur, animam meam pono pro Ovibus meis, adverſus Apollinarium aſſerimus, Verbum animam mente præditam aſſumpſiſſe. 14. In Chriſto Unica, non plures ſunt Perſonæ; & probatur ex illo Apoſtoli ad Rom: 8., qui etiam proprio filio ſuo non pepercit, ut fides docet contra Neſtorium. 15. Duæ ſunt in Chriſto Naturæ impermixtæ contra Euthychianos; nam dicitur ad Rom. 9. poſt multa: quorum Patres, ex quibus, eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt Deus ſuper omnia, tum quia natura Divina, & humana ſunt duæ naturæ completæ. 16. Adverſus Monothelitas cum fide cenſemus, in Chriſto unicam Voluntatem, aut unicam operationem non eſſe, id que ex ejus ambulatione, ex ejus ſiti, & nolitione bibendi, & obedientia colligitur. 17. Satisfactio Chriſti Domini tam ad ſatisfaciendum, quam ad merendum fuit infiniti valoris; nam actio ſuam æſtimabilitatem a perſona deſumit. 18. Fuit quoque ſatisfactio de toto rigore Juſtitiæ, cum omnes rigoroſæ Juſtitiæ habeat conditiones. 19. Humanitas Chriſti tum ratione unionis hypoſtaticæ, tum ratio-

tio-